Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

vel suspensionis seu interdicti promulgatione gravaretur. Cum vero frigescente caritate multorum usque adeo malicia nostri temporis habundasse ut nonnulli eorum qui in ecclesiis dei modernis temporibus sunt prelati transgrediantur terminos ab antiquioribus constitutos et in vestrum specialiter ordinem indebita exercere non dubitent ultionis, presertim inspectione litterarum statuimus et auctoritate apostolica confirmamus ut nulli liceat in vos vel monasteria vestra seu fratres inibi constitutos contra id quod ab origine ordinis vestri observatum excommunicationis vel suspensionis seu interdicti sententiam proferre. Quam si de promptu fuit auctoritate apostolica decernimus non tenere. Adicientes quoque decernimus ut archiepiscopi et episcopi in recipiendis professionibus que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur ea sint forma et expressione contenti que ab origine ordinis vestri instituta. Scilicet ut abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant et contra instituta ordinis nullam professionem facere compellantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Verone ix. Kal. Decembris. Nos itaque sacre religionis vestre inducti meritis vestris supplicationibus favorabiliter annuentes prefatum privilegium gratum et ratum habemus illudque auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus et innovamus decernentes ipsum perpetuam obtinere roboris firmitatem. Volumusque quod tenor huiusmodi sit insitus plenam fidem et approbationem faciat tam in iudicio quam extra iudicium etiam si ipsum originale privilegium non appareret nec exhiberetur nec sit necesse illud de cetero aliqualiter exhiberi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis innovationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinion. Quarto Non. Septembris Pontificatus nostri anno Quarto.

Clemens episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . Episcopo Chyemensi salutem et apostolicam benedictionem. Etsi quibuslibet personis ecclesiasticis presertim sub religionis habitu domino militantibus apostolicum debeat adesse presidium, professores tamen Cysterciensis ordinis utriusque sexus ne pravorum hominum molestiis agitentur eo liberius protectionis nostre munimine confovemus quo prefatum ordinem in ecclesia dei conspicuum dilectione prosequimur ampliori ac illorum iniurie gravius nos contingunt. Cum itaque sicut ad nostrum pervenit auditum dilecti filii abbas Cystercii eiusque coabbates et fratres ac dilecte in Christo filie abbatisse et sorores eorumque conventus ipsius Cysterciensis ordinis a nonnullis qui nomen domini in vacuum recipere non formidant in personis et bonis suis multipliciter molestentur, nos volentes ipsorum abbatum fratrum abbatissarum sororum et conventuum providere quieti et perversorum conatibus obviare fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus per te vel per alium seu alios eisdem abbatibus fratribus abbatissis sororibus et conventibus efficacis presidio defensionis assistens non permittas eos in personis et bonis ipsorum contra indulta privilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari. Molestatores huiusmodi quicumque et cuiuscumque religionis conditionis aut status existant etiamsi pontificali dignitate prefulgeant auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape Octavi predecessoris nostri constitutionibus aut indulgentiis quibus cavetur ne cum actor et reus fuerint eiusdem Civitatis vel Diocesis aliquis eorum extra ipsas nisi in certis casibus ad iudicium evocetur et alia ne conservatores a sede deputati predicta extra civitates et Dioceses in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere vel alii sive aliis suas vices